Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38125
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



50

& per longitudinem totius domus ad occidentalem usq; parietem: ac deinde usq; ad basis eius deorsum: habebit funiculus ille quinquaginta cubitorum longitudinis; decem uidelicet ascensionis: iuxta columnas. xxx aequalitatis secundum longitudinem domus; decem rursus descensionis iuxta occidentalis parietis tabulas; His ergo considerentur intuere et mensuras cortinarum quibus tegenda erit domus qualiter praefatis possint conuenire mensuris; Decem erant costinae habentes singulae longitudinis uiginti octo cubitos: latitudinis quattuor, quae simul iunctae et in unum conpositae tabernaculum implebunt de latitudine sua cubitos quadraginta; Suspende igitur cortinas quae habent singulae longitudinis uiginta octo cubitos: et pone in domu cuius est mensura in transuersum triginta cubitos: et uidebis quia cortinae habebunt inaequalitatem quae est inter parietes cubitos denos. In ascensu autem siue descensu qui est iuxta parietes habebunt cubitos nouenos; sicque fit ut summitas cortinarum terram tangere n̄ possit.